

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XIX. Quod eam dominus seipso selelivit in die parasceves.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

Respondit : « Merum mihi propinas dulcissimum, superans mel et savum, cum pro meis oras inimicis, qui sunt in statu damnationis, ut ad me convertantur. » Et anima : « Quid vero tibi propino, cum pro animabus oro ? » Respondit : « Vinum quod etiam jucundum facit cor meum, cum oras pro his qui in mea sunt benevolentia, ut citius a pœnis eruantur. »

Tunc anima : « O amantissime, quam ferventi desiderio nunc cor meum tibi offerre cupio. » Qui statim accipiens cor ejus in manus suas, odoratus est ad illud tamquam ad rosam suaviter redolentem. Cui anima : « Quid fragras in eo in quo nil est boni ? » Et Dominus : « Cum ego sum in anima tua, mei ipsius suavitas redolet in te. » Post haec dixit ad illam : « In occidentali parte est longitudo dierum, pax æterna, et gaudium sine fine mansurum. In parte aquilonis recipies æternam securitatem contra omnes adversarios tuos, quod nullus adversum te amplius prævalebit. »

Dominus
cor animæ
tamquam
rosam
odoratur.

CAPUT XIX.

QUOD EAM DOMINUS SEIPSO SEPELIVIT IN DIE PARASCEVES.

ITEM in quodam Parasceve dum sacerdotes Crucem so'lito sepelirent, devota haec Virgo ait ad Dominum : « O animæ meæ præcordialis dilecte, utinam nunc anima mea esset eburnea, ut te in ea decentissime sepelirem ! » Cui Dominus versa vice respondit : « Et ego te in me sepeliam ; eroque supra te spes et gaudium, elevans te, intra te vita vivificans et sagina lætificans et impinguans animam tuam. Retro te ero desiderium propellens te ; ante te vero amor alliciens et demulcens animam tuam. A dextris tuis ero laus

Dominus
seipso
invlovit
animam.

perficiens omnia opera tua ; a sinistris vero, reclinatorium aureum, sustentans in tribulationibus ; infra te quoque firmamentum, tenens animam tuam. »

QUALITER EI DOMINUS DEDIT COR SUUM IN PIGNUS AETERNAE VITÆ.

FERIA deinde quarta post Pascha, cum imponeret Missam, *Venite benedicti Patris mei*, ineffabili et inusitata quodam replebatur lætitia, dixitque ad Dominum : « O si una essem de his nimium benedictis, qui hanc tuam dulcissimam audituri sunt vocem ! » Ad quam Dominus respondit : « Etiam pro certo scias¹, daboque tibi Cor meum in pignus quod tecum semper habeas, et in die illa cum hoc desiderium tuum complevero, in testimonium mihi illud resignes. Do etiam tibi Cor meum in domum refugii, ut in hora defunctionis tuæ nulla via præterquam in Cor meum perpetuo pausatura declines. »

Hoc donum unum ex primitiis donorum Dei erat ; cœpitque ex hinc nimiam devotionem circa divinum Cor Jesu Christi affici, et fere quotiescumque Dominus sibi apparebat, aliquod speciale donum a Corde ejus accipiebat, sicut in hoc libro multis patet in locis. Sic etiam ipsam dicere solebat : « Si omnia scribi deberent quæ a benignissimo Dei Corde mihi collata sunt bona, matutinalis libri excederent quantitatem. »

1. Cf. *Legatus*. Lib. V. 4. et hujus *Libri specialis gratiæ* part. viii.